



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 107. Uterque ventorum vi in Britanniam delatus, ibidemque a Duce captus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.
A.C. 1471.

§. CVII.

Uterque ventorum vi in Britanniam delatus, ibidemque a Duce captus.

Rex bina hac victoria elatus, in Walliæ Principatum Thomam Waghnam ablegat, dato negotio, ut clam ac sine armorum strepitu Pembruchium ac Richemundiæ Comitem caperet. Verum Pembruchius de periculo edoctus, Waghami consilia non modo prævenit, sed & insidias in caput suum structas tanta dexteritate retorfit, ut hunc emissarium in itinere comprehenderet, ac trucidari juberet. Postea tamen Pembruchius in sua arce cingitur, sed opportune elapsus, unacum Richemundiæ Comite Nepote suo navem conscendit, in Gallias sese recepturus. Ast ventorum injuria ad Britanniæ oras ambo protruduntur, ubi exscensione facta Nannetem contendunt, Ducem adituri. Prolixior adversæ fortunæ, qua uterque jactabatur, narratio adeo Ducis animum ad miserationem commovit, eosque perbenigne exceptos, in fidem suam accepit; unde superatis tempestatibus se in securitatis portu tranquille subsistere arbitrabantur; verum Eduardus, cum nonnisi utriusque captivitate rebus suis consultum iri existimaret, comperto eorum in Britanniam adven-

adventu ad Ducem suos Legatos decre- Sæcul. XV.
 vit, qui ambos, ~~ve~~ saltem Henricum A.C. 1471.
 Comitem ad se remitti peterent. Verum
 Kenletus Duci in paucis carus, re com-
 perta Britannum, ne Eduardi votis an-
 nueret, dehortabatur, eidemque ingenti
 rationum, verborumque vi exponebat,
 quod indignum Principis facinus esset,
 jura gentium violare, fidemque miseris
 adeo religiose datam ad unius vocem
 frangere; his permotus Dux palam con-
 testatus est, sibi a pactis, promissisque
 discedere, integrum non esse, nec se un-
 quam, prodita fidei publicæ Religione,
 Comitem Eduardi manibus traditurum.
 Hoc responso ad quemdam Angliæ Le-
 gatum delato, ipse indignabundus Comi-
 tis vitæ insidias struere cœpit; frustra
 neo tamen molimine; provida enim Bri-
 tannorum consilia cunctos, quos parave-
 rat laqueos, feliciter diruperunt, nec
 Eduardus a Britanniae Duce aliud impe-
 trare poterat, quam ut ipse pollicere-
 tur, quod Richemundiae Comitem capti-
 vorum more detineret, nec ullo pacto li-
 bertati redderet. Hanc conditionem
 Henricus Comes suasu atque instinctu
 Kenleti acceptabat.